



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

486. An dari possit exemptio ab obligatione solvendi decimas, & qualiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

vere ex omnibus fructibus, qui proveniunt, & non deducta prius pensione dicta. *c. cum non sit.* nec in hoc nimium gravatur colonus, cum propter hoc onus minorem pensionem proportionatam, nempe novem partibus fructuum, exigere debet; adeoque nec tunc tenetur dominus ad decimas solvendas ex dicta pensione accepta; quia illa jam virtualiter decimata est hoc ipso, quod minor fuerit imposita colonis pensio inruitu istius oneris decimarum. Si dominus partem fructuum, & colonus etiam partem recipit, uterque ex parte sua absque diminutione impensarum solvere tenetur decimas juxta *c. à nobis. & c. tua. h. t.* Ita ferè Pirh. *nam. 48.* citans Abb. *in c. tua. n. 14.* Azor. *loc. cit. c. 24. q. 4.* Suar. *c. 35. n. 13.*

Questio 486. An dari possit exemptio ab obligatione solvendi decimas, & qualiter?

Respondeo ad primum affirmative, cum enim hæc obligatio non sit ex jure divino naturali, vel etiam positivo, ut dictum, modò relinquatur ministris Ecclesiæ necessaria & congrua sustentatio, tolli omnino potest, multoque magis quo ad aliquos, quæ est propriè exemptio.

2. Respondeo ad secundum: hæc exemptio fieri potest tribus modis, privilegio, consuetudine, præscriptione. Castrop. *disp. unica. p. 12. num. 1.* Ac primò quidem per privilegium, circa quod.

Questio 487. Quid in hoc possit Papa, aliisve Prælatibus inferioribus?

Respondeo ad primum: potest Papa de potestate absoluta validè obligationem solvendi decimas omnino quo ad omnes fideles tollere & abrogare, modò ministris Ecclesiæ aliunde suppetitur necessaria & congrua sustentatio. Azor. *loc. cit. q. 6. Less. l. 2. c. 39. dub. 5.* Suar. *loc. cit. c. 14. num. 10.* Pirh. *n. 51.* Castrop. *loc. cit. p. 2. n. 2.*

2. Secundò: de factò tamen ac simpliciter id non potest licitè; cum id eederet in grave damnum temporale & spirituale Ecclesiæ totius, essetque dissipatio reddituum Ecclesiæ. Pirh. *loc. cit.*

3. Tertiò: potest validè & licitè per speciale privilegium quibusdam in particulari concessum obligationem solvendi decimas in totum vel in partem remittere, ac ita illos à communi aliàs obligatione ista eximere. Barbof. *de off. paroch. c. 28. §. 3. num. 12.* citans quamplur. Azor. *p. 1. l. 7. c. 37. q. 6.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* cum communi. Ratio, quia etsi de jure divino ac naturali sit, ut ministri Ecclesiæ habeant à fidelibus, quibus divina ac spiritualia ministrant, congruam sustentationem, ad summum, procedendo in hoc collectivè, ita ut in parochia aliqua parochus ab omnibus constituentibus illam collectivè sumptis habeat sustentationem suam; non tamen est de jure divino, ne quidem positivo, ut procedatur in hoc distributivè, hoc est, ut singuli parochianorum ad dictam sustentationem contribuere debeant. Barb. Pirh. *ll. cit.* sed neque per dictam exemptionem gravantur alii solventes decimas, cum non plus solvant, quam si nullus esset exemptus, sed solum stipendium ministri minuitur, quod ab Ecclesia sicut augeri, ita & minui potest ex justa causa, seu prout ad bonum commune expedire judicaverit. Pirh. *loc. cit.*

4. Quartò licitè id non potest Papa sine causa

juxta probabiliorem; cum sine causa à lege communi & regula omnibus præscripta aliquem eximere sit abuti potestate; quamvis dum id fit citra scandalum ac damnum notabile alterius (quale foret v. g. dum ob exemptionem unius gravarentur notabiliter magis alii) non sit nisi peccatum veniale. Castrop. *cit. p. 2. num. 3.* citans Sanch. *de matrim. l. 8. d. 18. nu. 3.* de cetero præsumendum semper, principem sine legitima causa non moveri ad dispensandum in lege, præsertim dum id facit motu proprio. Suar. *de cens. ro. §. d. 41. f. 3.* Sanch. *loc. cit. d. 17. num. 14.* Quin & certum esse in exemptione decimarum facta personæ Ecclesiasticæ intervenire semper causam legitimam, cum illa exemptio sit quasi applicatio debita sustentationis, eò quòd sint ministri Ecclesiæ ad communem utilitatem ordinati, ait Castrop. *loc. cit. num. 4.* Potest etiam Papa decimas non secus ac fructus alios uni Ecclesiæ applicatos applicare alteri, pro ut sibi visum fuerit, absque eo, quòd ulli faciat injuriam; cum non nisi dependenter à voluntate illius fuerint applicati. Unde per exemptionem factam regularibus Ecclesiæ parochiales allegare nequeunt factam sibi injuriam. Castrop. *loc. cit. num. 5.* Porò duplicis generis sunt privilegia à decimis solvendis exemptiva. Quædam generalia, nimirum juri Canonico inserta, unde & à jure communi concessa dicuntur. Quædam particularia extra jus commune, sive in scriptis concessa, sive sine scripto. Pirh. *num. 52.* citans Suar. *c. 18. num. 2.*

5. Respondeo ad secundum; non posse ullum Prælatum Papæ inferiorem hoc privilegium exemptionis concedere; cum non possint tales relaxare legem superioris, seu in ea dispensare aut remittere & mutare, quæ Pontifices in jure communi statuerunt, nisi in casibus ipsis concessis, cujusmodi facultas relaxandi obligationem solvendi decimas concessa Episcopis nullibi in jure reperitur. Solum modò itaque in specialibus quibusdam casibus committitur Episcopis, uti & per Trident. pluribus in locis iis conceditur, ut tanquam sedis Apostolicæ Legati disponere possint de decimis, eas vel earum partem, aut beneficia ex iis erecta ad aliqua opera vel loca pia applicare possint uniendo, dividendo, uti & ex justa causa unius Ecclesiæ decimas alteri Ecclesiæ vel personis Ecclesiasticis applicando &c. quod ipsum non est dispensare aut relaxare jus commune; sed debite decimas administrare. *c. plures. c. statimus. h. t.* Barbof. *num. 49.* & seq. Pirh. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit. p. 2. num. 1.* Rebuff. *de decim. q. 5. num. 32.* Multoque minus jam poterit quis solvi ab obligatione solvendi decimas ecclesiasticas per potestatem sæcularem juxta *c. tua. h. t.* cum princeps sæcularis neque in specie, neque in genere disponere possit de rebus Ecclesiasticis; adeoque nec concedere immunitatem à juribus spiritualibus, quale est illud decimarum solvendarum. unde si diceret: concedimus tibi bona hæc sine omni onere reali præstando, minimè liberaret à solvendis decimis ecclesiasticis, Pirh. *num. 134.*

cum comm.

**

*

Quæstio